

rat, postea ut legitima habeat. Item ex eodem: (b) „Si foemina ingenua acceperit servum, sciens quod servus esset, habeat eum: quia omnes unum patrem habemus in caelis: una lex erit viro, & foeminae. Cum dicitur, Sciens illum servum, datur intelligi quod si nescierit illum servum esse, non cogitur manere cum ipso. Si enim conditionis dolum patitur, non cogitur adherere ei cujus fraude decepta est. Si autem vir scierit conditionem mulieris, vel e converso, non valet eam dimittere. Unde Zacharias Papa: (c) „Si quis liber ancillam in matrimonio acceperit, non habet licentiam dimittendi eam, si consensu amborum conjuncti sunt, nisi ob fornicationem. De illis agit quibus alterutrius conditio nota est, quando conjunguntur.

De copula servi, & ancilla diversorum dominorum.

Quaeritur etiam, si servus unius ancillam alterius acceperit, an sit inter eos conjugium. De hoc etiam statutum est (in Concilio Cabilonensi II. cap. xxx.) „Dicitur est nobis, quod (3) quidam legitima servorum matrimonia potestativa quadam praesumptione dirimant, non attendentes illud (4) Math. xix. 6. Quos Deus conjunxit, homo non separet. Unde nobis visum est ut conjugia servorum non dirimantur, etiam si diversos dominos habeant; sed in uno conjugio permanentes, dominis serviant suis. Er hoc in illis observandum est ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum. Attende finem huius capituli, ubi videtur innuere, praeter voluntatem dominorum inter servum & ancillam non posse contrahi conjugium, vel si contrahitur, non esse ratum. Quibusdam tamen videtur inter eos posse fieri conjugium dominis ignorantibus.

De viro qui se facit servum, ut dividatur ab uxore.

Illud etiam notandum, quod si mulier virum liberum acceperit, & ille, ut causam praeter dissidium, se alicujus servum fecerit; nec ille uxorem dimittere, nec illa ob vinculum conjugii in servitutum redigi poterit. Unde illud (Concilii Triburiensis, & in Decret. ubi sup. cap. „Perlatum est.“) „Perlatum est ad sanctam Synodum, quod quidam ingenuus ingenuam acceperit uxorem, & post filiorum procreationem occasione divortii, cujusdam servum se fecerit: utrum, & mulierem necessario tenere debeat; & si tenuerit, an illa etiam servituti subici debeat, quaesitum est. Judicatum est uxorem minime debere dimittere, non tamen ob Christi legem mulierem in servitutum redigi, dum ille non ex consensu conjugis se servum fecerit, quem liberum ipsa maritum acceperat.

De aetate contrahentium.

Hoc etiam sciendum est, quod pueri ante quatuordecim annos, & puellae ante duodecim annos secundum leges matrimonium inire nequeunt. Quod si ante praedicta tempora copulam inierint, separari possunt, quamvis voluntate, & assensu parentum juncti fuerint. Qui vero in pueritia copulati, post annos pubertatis nolunt se relinquere, sed in conjunctione permanere, jam ex hoc efficiuntur conjuges, & deinceps nequeunt separari. (5) Item. Sponsalia ante septennium contrahi non possunt: solo enim consensu contrahuntur, qui intervenire non potest, nisi ab alterutra parte intelligatur quod inter eos agitur. Duo illa executi sumus cum aliorum quorundam adjectione, quibus conjugium solvi potest, nec tamen solvi semper necesse est. Nunc de aliis quae personas illegitimas penitus faciunt addendum est, & primum de ordine.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de impotentia coeundi, per quam impeditur actus matrimonii, ne de facto omnino fieri possit, hic determinat de impedimento conditionis servilis, per quam impeditur actus matrimonii ne libere fiat: & dividitur in partes duas. In prima determinat de conditione servili. In secunda epilogat, continuans praecedentia ad sequentia, ibi: Duo illa executi sumus &c. Prima in duas. In prima determinat de impedimento conditionis servilis; in secunda de impedimento ex defectu aetatis, quia talis non differt a servo, quamdiu sub tutofibus est, Gal. iv. ibi: Hic etiam sciendum, quod pueri ante quatuordecim annos, & puellae ante duodecim annos secundum leges matrimonium inire nequeunt. Prima in duas. In prima determinat de servitute quae praecedit matrimonium; in secunda de servitute quae matrimonium superinducitur, ibi: Illud etiam notandum est &c. Prima in duas. In prima determinat de servitute matrimonium praecedente quae est ex altera tantum parte contrahentium; in secunda de illa quae

(3) Al. quaedam. (4) Nicolai addit evangelicum. (5) Nicolai. Unde dicitur in Decretis causa xxx. quaest. 2. cap. Ubi non est consensus (ex Nicolao Papa) quod qui pueris dant puellas in canabulis, & e converso, nihil faciunt, nisi uterque puerorum, postquam venerit ad annos discretionis, consentiat, etiamsi pater & mater hoc voluerint, & fecerint. Item Sponsalia &c. Ex Edr. P. Nicol. (b) Nempe ex cap. Si famina. (c) Ex quo etiam in Decretis refertur ubi supra cap. Si quis liber...

est ex utraque parte, ibi: Quaeritur etiam, si servus unius ancillam alterius acceperit, an sit inter eos conjugium.

QUAESTIO I.

Hic quaeruntur quinque. Primo. Utrum conditio servitutis matrimonium impediatur. Secundo. Utrum possit servus sine consensu domini matrimonium contrahere. Tertio. De servitute quae supervenit matrimonio. Quarto. Utrum proles sequatur matrem. Quinto. De defectu aetatis, utrum impediatur matrimonium.

ARTICULUS I.

Utrum conditio servitutis impediatur matrimonium.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod conditio servitutis non impediatur matrimonium. Nihil enim impedit matrimonium, nisi quod

habet aliquam contrarietatem ad ipsum. Sed servitus non habet aliquam contrarietatem ad matrimonium; alias inter servos non possent esse conjugia. Ergo servitus non impedit matrimonium.

2. Praeterea. Illud quod est contra naturam, non potest impedire illud quod est secundum naturam. Sed servitus est contra naturam: quia, sicut dicit Gregorius, Lib. XXI. Moral. cap. x. contra naturam est hominem homini velle dominari: quod etiam patet ex hoc quod homini dictum est, Gen. 1. 26. Ut praesit piscibus maris &c. non autem ut praesit homini. Ergo non potest impedire matrimonium, quod est naturale.

3. Praeterea. Si impeditur matrimonium, aut hoc est de jure naturali, aut de jure positivo. Non de jure naturali, quia secundum jus naturale omnes homines sunt aequales, ut Gregorius, ubi sup. & in principio Digestorum dicitur, quod servitus non est de jure naturali: positivum etiam jus descendit a naturali, ut Tullius dicit. Ergo secundum nullum jus servitus matrimonium impeditur.

4. Praeterea. Illud quod impedit matrimonium, aequaliter impedit, sive sciatur, sive ignoretur, ut patet de consanguinitate. Sed servitus unius cognita ab altero non impedit matrimonium. Ergo servitus, quantum in se est, non habet quod impediatur matrimonium; & ita non debet poni per se matrimonium impedimentum ab aliis distinctum.

5. Praeterea. Sicut convenit esse errorem circa servitutum, ut putetur liber qui est servus; ita potest esse error de libertate, ut putetur servus qui est liber. Sed libertas non ponitur matrimonium impedimentum. Ergo nec servitus debet poni.

6. Praeterea. Magis facit gravem societatem matrimonii, & plus impedit bonum prolis morbus lepra quam servitus. Sed lepra non ponitur impedimentum matrimonii. Ergo nec servitus debet poni.

Sed contra est quod Decretalis (cap. Proposuit, & cap. Ad nostram) dicit de conjugio servorum, quod error conditionis impedit contrahendum matrimonium, & dirimit contractum.

Praeterea. Matrimonium est de bonis per se (1) expectandis, in quantum habet honestatem. Sed servitus est de per se fugiendis. Ergo matrimonium, & servitus sunt contraria; & sic servitus matrimonium impedit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in matrimonii contractu obligatur unus conjugum alteri ad debitum reddendum: & ideo si ille qui se obligat, est impotens ad solvendum, ignorantia hujus impotentiae in eo cui fit obligatio, tollit contractum. Sicut autem per impotentiam coeundi efficitur aliquis impotens ad solvendum debitum, ut omnino non possit solvere; ita per servitutum, ut libere reddere debitum non possit: & ideo sicut impotentia coeundi ignorata impedit matrimonium, non autem si sciatur: ita conditio servitutis ignorata matrimonium impedit, non autem servitus scita.

Ad primum ergo dicendum, quod servitus contrahitur matrimonio quantum ad actum, ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest libere exequi; & quantum ad bonum prolis, quae peioris conditionis efficitur ex servitute parentis. Sed quia quilibet potest in eo quod sibi debetur, sponte In IV. Sent. Tom. V. (1) Al. expectandis.

detrimentum aliquod subire; ideo si alter conjugum scit alterius servitutum, nihilominus matrimonium tenet. Similiter etiam quia in matrimonio est aequalis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non potest aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius quam ipse possit facere: & propter hoc servus etiam si contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impedit matrimonium. Et sic patet quod servitus non impedit matrimonium, nisi quando ignorata est ab alio conjugue, etsi ille sit liberae conditionis: & ideo nihil prohibet inter servos esse conjugia, vel etiam inter liberum & ancillam.

Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet esse aliquid contra naturam quantum ad primam intentionem ipsius, quod non est contra naturam quantum ad secundam ejus intentionem; sicut omnis corruptio, & defectus, & senium est contra naturam, ut dicitur in II. Coeli & mundi, text. com. xviii. quia natura intendit esse, & perfectionem; non tamen est contra naturam intentionem naturae, quia ex quo natura non potest conservare esse in uno, conservat in altero, quod generatur corruptione alterius: & quando natura non potest perducere ad majorem perfectionem, inducit ad minorem, sicut quando non potest facere masculinum, facit foeminam, quae est mas occasionatus, ut dicitur in XVI. de animalibus vel II. de generat. animal. cap. iiii. Similiter etiam dico, quod servitus est contra primam intentionem naturae, sed non contra secundam: quia naturalis ratio ad hoc inclinat, & hoc appetit natura ut quilibet sit bonus; sed ex quo aliquis peccat, natura etiam inclinat ut ex peccato poenam reportet, & sic servitus in poenam peccati introducta est. Nec est inconveniens aliquid naturale per hoc quod est contra naturam hoc modo impediri: sic enim matrimonium impeditur per impotentiam coeundi, quae est contra naturam modo praedicto.

Ad tertium dicendum, quod jus naturale dicitur quod poena sit pro culpa infligenda, & quod nullus sine culpa puniri debeat; sed determinare poenam secundum conditionem personae, & culpae, est juris positivi: & ideo servitus, quae est quaedam poena determinata, est de jure positivo, & a naturali proficiscitur, sicut determinatum ab indeterminato: & eodem jure positivo determinante est factum quod servitus ignorata matrimonium impediatur, ne aliquis sine culpa puniatur: est enim quaedam poena uxoris quod habeat virum servum, & e converso.

Ad quartum dicendum, quod aliqua impedimenta sunt quae faciunt matrimonium illicitum. Et quia voluntas nostra non facit aliquid esse illicitum, vel licitum, sed lex cui voluntas subdit debet; ideo ignorantia talis impedimenti quae voluntarium tollit, vel scientia nihil facit ad hoc quod matrimonium teneat, & tale impedimentum est affinitas, vel votum, & caetera hujusmodi. Quaedam autem impedimenta sunt quae faciunt matrimonium inefficax ad solutionem debiti: & quia in voluntate nostra consistit debitum nobis relaxare, ideo talia impedimenta, si sint cognita, matrimonium non tollunt, sed solum quando ignorantia voluntarium excludit: & tale impedimentum est servitus, & impotentia coeundi. Et quia etiam de se habent aliquam rationem impedimenti, ideo ponuntur specialia impedimenta praeter errorem. Non autem personae variatio ponitur speciale impedimentum praeter errorem: quia persona altera subin-

producta non habet rationem impedimenti, nisi ex intentione contrahentis.

Ad quintum dicendum, quod libertas non impedit matrimonii actum: unde libertas ignorata non impedit matrimonium.

Ad sextum dicendum, quod lepra non impedit matrimonium quantum ad primum actum suum, eo quod leprosi debitum reddere possunt libere, quamvis aliqua gravamina matrimonio inferant quantum ad secundos effectus: & ideo non impedit matrimonium sicut servitus.

ARTICULUS II.

Utrum servus matrimonium contrahere possit sine consensu domini.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod servus matrimonium contrahere non possit sine consensu domini. Nullus enim potest dare alicui quod est alterius, sine consensu ipsius. Sed servus est res domini. Ergo non potest contrahendo matrimonium, dare potestatem corporis sui uxori sine consensu domini.

2. Præterea. Servus tenetur domino sub obedire. Sed dominus potest ei præcipere quod in matrimonium non consentiat. Ergo sine consensu eius matrimonium non potest contrahere.

3. Præterea. Post contractum matrimonium servus tenetur reddere debitum uxori præcepto juris divini. Sed eo tempore quo uxor debitum petit, potest dominus aliquod servitium servo imponere, quod facere non poterit, si carnali copula vacare velit. Ergo si sine consensu domini posset servus contrahere matrimonium, privaretur dominus servitio sibi debito sine culpa; quod esse non debet.

4. Præterea. Dominus potest vendere servum in extraneas regiones, quo uxor sua non poterit eum sequi vel propter infirmitatem corporis, vel propter periculum fidei imminens, puta si vendatur infidelibus, vel etiam domino uxoris non permittente, si sit ancilla: & sic matrimonium dissolvitur, quod est inconveniens. Ergo non potest servus sine consensu domini matrimonium contrahere.

5. Præterea. Favorabilior est obligatio qua homo se divinis obsequiis mancipat, quam illa qua homo se uxori subicit. Sed servus sine consensu domini non potest religionem intrare, vel ad clericatum promoveri. Ergo multo minus potest sine eius consensu matrimonio jungi.

Sed contra. Gal. 111. 28. *In Christo Jesu non est servus, neque liber.* Ergo ad matrimonium contrahendum in fide Christi Jesu eadem est libertas liberis, & servis.

Præterea. Servitus est de jure positivo. Sed matrimonium est de jure divino, & naturali. Cum ergo jus positivum non præjudicet juri naturali, aut divino, videtur quod servus absque domini consensu matrimonium contrahere possit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod (1) cum jus positivum, ut dictum est, progrediatur à jure naturali; ideo servitus, quæ est de jure positivo, non potest præjudicare his quæ sunt de lege naturali. Sicut autem appetitus naturæ est ad conservationem individui

(1) *Al.* quamvis jus.

ita est ad conservationem speciei per generationem. Unde sicut servus non subditur domino quin libere possit comedere, & dormire, & alia hujusmodi facere quæ ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conservari non potest; ita non subditur ei quantum ad hoc quod non possit libere matrimonium contrahere, etiam domino nesciente, aut contradicente.

Ad primum ergo dicendum, quod servus est res domini quantum ad ea quæ naturalibus superadduntur, sed quantum ad naturalia omnes sunt pares: unde in his quæ ad actus naturales pertinent, servus potest alteri, invito domino, sui corporis potestatem per matrimonium præbere.

Ad secundum dicendum, quod servus domino suo tenetur obedire in his quæ dominus potest licite præcipere. Sicut autem licite non potest præcipere dominus servo quod non comedat, aut dormiat; ita etiam nec quod à matrimonio contrahendo absteat. Interest enim ad legislatorem qualiter quilibet re sua utatur: & ideo si dominus præcipiat servo quod non contrahat matrimonium, servus non tenetur ei obedire.

Ad tertium dicendum quod si servus volente domino matrimonium contraxit, tunc debet præstare servitium domini imperantis, & reddere debitum uxori: quia per hoc quod dominus concessit ut matrimonium servus contraheret, intelligitur ei concessisse omnia quæ matrimonium requirit: si autem matrimonium ignorante, vel contradicente domino est contractum; non tenetur reddere debitum, sed potius domino obedire, si utrumque simul esse non possit. Sed tamen in his multa particularia considerari debent, sicut etiam in omnibus humanis actibus, scilicet periculum castitatis imminens uxori, & impedimentum quod ex redditione debiti servitio imperato generat, & aliis hujusmodi: quibus omnibus rite pensatis, judicari poterit cui magis servus obedire teneatur, domino, vel uxori.

Ad quartum dicendum, quod in tali casu dicitur, quod dominus cogendus est ne servum vendat taliter quod faciat onera matrimonii graviora, præcipue cum non desit facultas ubique servum suum vendendi iusto pretio.

Ad quintum dicendum, quod per religionem, & ordinis susceptionem aliquis obligatur divinis obsequiis quantum ad totum tempus; sed vir tenetur uxori debitum reddere non semper, sed congruis temporibus: & ideo non est simile. Et præterea ille qui intrat religionem & suscipit ordinem, obligat se ad opera quæ sunt naturalibus superaddita, in quibus dominus potestatem ejus habet; & non in naturalibus, ad quæ obligat se per matrimonium: unde potest continentiam vovere sine consensu domini.

ARTICULUS III.

Utrum servitus matrimonio possit supervenire.

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod servus matrimonio non possit supervenire, ut vir se alteri vendat in servum. Quia quod in fraudem, & præjudicium alterius factum est, ratum esse non debet. Sed vir qui se in servum vendit, facit hoc quandoque in fraudem matrimonii, & ad detrimentum uxoris. Ergo non debet valere talis venditio ad servitutem inducendam.

Præ-

2. Præterea. Duo favorabilia præjudicant uni non favorabili. Sed matrimonium, & libertas sunt favorabilia, & repugnant servituti, quæ non est favorabilis in jure. Ergo servitus talis debet penitus annullari.

3. Præterea. In matrimonio vir, & uxor ad paria judicantur, ut supra, dist. xxxi. dictum est. Sed uxor non potest se in ancillam dare nolente marito. Ergo nec vir nolente uxore.

4. Præterea. Illud quod impedit rei generationem in naturalibus, destruit etiam rem generatam. Sed servitus viri nesciente uxore impedit matrimonii contractum antequam fiat. Ergo si posset matrimonio supervenire, destrueret matrimonium; quod est inconveniens.

Sed contra. Quilibet potest dare alteri quod suum est. Sed vir est sui juris, cum sit liber. Ergo potest jus suum dare alteri.

Præterea. Servus potest nolente domino uxorem ducere, ut dictum est. Ergo eadem ratione vir potest domino se subdere, nolente uxore.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod vir subditur uxori solum in his quæ ad actum naturæ pertinent, in quibus sunt æquales, ad quæ servitutis subjectio se non extendit; & ideo vir nolente uxore potest se alteri in servum dare: non tamen ex hoc matrimonium dissolvitur, quia nullum impedimentum matrimonio superveniens potest dissolvere ipsum, ut prædictum est dist. xxxiv. q. 1. art. 1. ad 6.

Ad primum ergo dicendum, quod fraus bene potest nocere ei qui fraudem facit, sed non potest alteri præjudicium generare: & ideo si vir in fraudem uxoris alteri det se in servum, ipse damnum reportat, inæstimabile libertatis bonum amittens; sed uxori nullum potest ex hoc præjudicium generari, quin teneatur reddere debitum petenti, & ad omnia quæ matrimonium requirit: non enim potest ab his retrahi domini sui præcepto.

Ad secundum dicendum, quod quantum ad hoc quod servitus matrimonio repugnat, matrimonium servituti præjudicat: quia tunc servus tenetur uxori reddere debitum, etiam nolente domino.

Ad tertium dicendum, quod quamvis in actu matrimoniali, & his quæ ad naturam spectant ad paria vir, & uxor judicentur, ad quæ conditio servitutis non se extendit; tamen quantum ad dispensationem domini, & ad alia hujusmodi superaddita, vir est caput mulieris, & debet corrigere, non autem è converso: & ideo uxor non potest se dare in ancillam nolente viro.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa procedit de rebus corruptibilibus, in quibus etiam multa impediunt generationem, quæ non sufficiunt ad destruendum rem generatam. Sed in rebus perpetuis potest impedimentum præstari, ne res talis esse incipiat non autem ut esse desistat, sicut patet de anima rationali: & similiter etiam est de matrimonio, quod est perpetuum vinculum præsentis vite manente.

ARTICULUS IV.

Utrum filii debeant sequi conditionem patris.

1. **A**D quartum sic proceditur. Videtur quod filii debeant sequi conditionem patris. Quia denominatio fit à digniori. Sed pater in generatione est dignior quam mater. Ergo &c.

2. Præterea. Esse rei magis dependet à forma quam à materia. Sed in generatione pater dat formam, mater materiam, ut dicitur in XVI. de animalibus, vel Lib. II. de gener. animal. cap. iv. Ergo magis debet sequi proles patrem quam matrem.

3. Præterea. Illud præcipue debet aliquid sequi cui magis similatur. Sed filius plus similatur patri quam matri, sicut & filia plus matri. Ergo ad minus filius deberet sequi patrem, & filia matrem.

4. Præterea. In sacra Scriptura non computatur genealogia per mulieres, sed per viros. Ergo proles magis sequitur patrem quam matrem.

Sed contra. Si quis seminat in terra aliena, fructus sunt ejus cujus est terra. Sed venter mulieris respectu seminis viri est sicut terra respectu sementis. Ergo &c.

Præterea. In aliis animalibus hoc videmus, quæ ex diversis speciebus nascuntur, quod partus magis sequitur matrem quam patrem: unde muli qui nascuntur ex equa & asina, magis simulantur equis quam illi qui nascuntur ex asina & equo. Ergo similiter debet esse in hominibus.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod secundum leges civiles partus sequitur ventrem: & hoc rationabiliter, quia proles habet à patre complementum formale, sed à matre substantiam corporis. Servitus autem corporalis conditio est, cum servus sit quasi instrumentum domini in operando: & ideo proles in libertate, & servitute sequitur matrem; sed in his quæ pertinent ad dignitatem, quæ est forma rei, sequitur patrem, sicut in honoribus, & municipiis, & hæreditate, & aliis: & huic etiam concordant canones, & lex Moysi, ut patet Exod. xxi. In quibusdam tamen terris quæ jure civili non reguntur, partus sequitur deteriorem conditionem; ut si pater sit servus, quamvis mater sit libera, erunt filii servi; non tamen si post contractum matrimonium pater se in servum dedit nolente uxore, & similiter si sit è converso. Si autem uterque sit servilis conditionis, & pertineant ad diversos dominos, tunc dividunt filios, si plures sunt, vel si unus tantum, unus alteri recompensabit de pretio, & accipiet prolem natam in sui servitium. Tamen non est credibile quod talis consuetudo possit esse ita rationabilis, sicut illud quod multorum sapientum diuturno studio determinatum est. Hoc etiam in naturalibus invenitur quod receptum est in recipiente per mundum recipientis, & non per modum dantis: & ideo rationabile est quod semen receptum in muliere ad conditionem ipsius trahatur.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis pater sit dignius principium, tamen mater dat substantiam corporalem, ex parte cujus attenditur conditio servitutis.

Ad secundum dicendum, quod in his quæ ad rationem speciei pertinent, magis similatur filius patri quam matri; sed in materialibus conditionibus magis debet similari matri quam patri; quia res habet à forma esse specificum, sed conditiones materiales à materia.

Ad tertium dicendum, quod filius assimilatur patri ratione formæ quam habet in sui complemento, sicut & pater; & ideo ratio non est ad propositum.

Ad quartum dicendum, quod quia honor filii magis est ex parte quam ex matre, ideo in genealogiis in Scripturis, & secundum communem consuetudinem magis nominantur filii à patre quam à matre; ta-